

www.e-rara.ch

Horapollinis Niloï hieroglyphica

Horapollo

Amstelodamum, MDCCCXXXV. [1835]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 44111

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-94453>

Praefatio.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PRAEFATIO.

Qualem rationem in nova hac HORAPOLLINIS Hieroglyphicorum editione curanda secutus sim, paucis exponam.

Trium novorum Codicum lectionibus operi accedentibus, quorum duorum jam editae erant a Cl. BACHMANNO in Anecdotis, tertium autem Codicem mihi Parisiis conferendum curavi, haud abs re visum est, si ipse HORAPOLLINIS textus iterum typis exprimeretur, addito apparatu critico, in quo Codicum et Edd. priorum diversae lectiones notarentur. Versionem etiam adjungendam putavi, ut iis quoque consuleretur, qui Graecae minus intelligentes, antiquitati Aegyptiacae tamen operam darent; quam versionem, ut potui maxime, Graecis respondentem feci; ubi autem a Merceri interpretatione, quae a multis citatur, valde differebat, in apparatu critico illud indicavi. In conscribenda adnotatione, quam insigni V. Cl. C. B. HASE benevolentia, ipsius et V. Cl. LETRONNII observationibus in quaedam HORAPOLLINIS loca, ditare potui, duplex consilium secutus sum: alterum, ut librum utilem quoque redderem literarum cultoribus, qui tamen antiquitatis Aegyptiacae studio non tenerentur; alterum, ut priorum editorum explicationibus adlatis, refutatis vel correctis, qui hanc

editionem sibi comparasset, reliquis carere posset. Hieroglyphicorum porro explicationes, apud alios scriptores servatas, sive cum HORAPOLLINIS interpretatione convenirent, sive ab ea differrent, locis suis addidi. Veterum scriptorum loca citans, ipsa saepius eorum verba adscripsi, quoniam non omnibus ipsi scriptores semper et ubique ad manus esse possunt; utque ita, praesertim in Lib. II. lectores ipsi judicare possent, quam veri simile sit, plurima ejus capita ex historiae naturalis scriptoribus esse compilata. Quae porro HORAPOLLINIS hieroglyphica monumentis confirmarentur, eorum imagines in tabulis depingendas curavi. Quarum numerus insigniter increvit, ex quo Doctissimus mihiq; amicissimus FR. SALVOLINIUS, cui CHAMPOLLIONIS monumentorum Aegypti interpretandorum rationem, ab ipso auctore, Parisiis accipere contigerat, Musei Lugduno-Batavi visendi gratia, initio anni praecedentis hic commoratus, omnia hieroglyphica mihi indicavit, quorum explicationem CHAMPOLLION, post secundam editionem Libri de Hierogl. Vet. Aeg. et in primis post iter in Aegyptum, prioribus addiderat. Qua re, uti et multis aliis, quae ex CHAMPOLLIONIS doctrina scriptisque ineditis adhuc mecum communicavit, quantum de me bene meritus sit SALVOLINIUS, dicere vix possum. — Praeterea tales quoque imagines addendas putavi, quae facerent ad meliorem adnotationum mearum intellectum. Posterioribus vero his colores non induxi; quos in reliquorum hieroglyphicorum imaginibus,

ex optimis monumentis desumptos, neque tamen in omnibus eosdem inveniri monendum est. Attamen, quantum potui, eos elegi, quorum usus maxime constans esse videbatur. Singulorum porro hieroglyphicorum, quorum explicationes proferuntur, demonstrationem non adjuuxi, quoniam ut ea recte fiat, universe plurimum monumentorum, et majoris scripturae Aegyptiacae cognitio requiritur. Quapropter ea potius in posteriora tempora servanda visa est, quando CHAMPOLLIONIS opere de Grammaticis Hieroglyphicis edito, hujus auctoritate uti possimus. Illud tamen sibi persuasum habere poterunt lectores, hieroglyphica illa, in monumentorum Aegyptiacorum inscriptionibus, ea significatione, qualem indicavi, inventum iri. Interim multorum hieroglyphicorum confirmatio peti poterit ex Commentario FR. SALVOLINII de MSto Hier. Aeg. Sallieri (*) et ex ejusdem Analysisi diversorum textuum Aegyptiacorum (+), cujus operis primum volumen magno tabularum numero instructum versus finem hujus anni edetur. Virorum denique doctissimorum diversas rationes HORAPOLLINIS explicandi, singulis capitibus addidi, ita ut lectoribus fere ubique judicium relinqueretur, qualem rationem sibi potissimum

(*) Campagne de Rhamsès le Grand (Sesostris) contre les Schèta, et leurs alliés. Manuscrit Hiératique Égyptien appartenant à M. Sallier à Aix en Provence. Notice sur ce Manuscrit. Paris. 1835.

(†) Analyse Grammaticale raisonnée de différents Textes Égyptiens.

sequendam ducerent. In quibus omnibus viri docti hunc meum laborem aequo animo dijudicent quaeso, utpote juvenis, in aditu adhuc literarum versantis, et sibi in illorum indulgentia unicum fere praesidium esse existimantis.

Praefationi huic finem imponere non possum sine eo, ut publice profitear, quantum debeam Viro Cl. C. J. C. REUVENS, qui, uti olim mihi auctor existit, ut Archaeologiae operam darem, et deinde ex quo tempore viam illam studiorum ingressus sum, optimus mihi semper dux consiliis auxiliisque adfuit, ita nunc quoque in libello hoc conscribendo, admonitionibus, et magna illa, qua bibliotheca ejus referta est, librorum copia suppeditanda haud leviter de me meritus est.

Scripsi Lugduni Batavorum, Mense Martio
anni MDCCCXXXV.